

49. Ceterum, ut ad Idololatriæ huius refutationem propius accedamus, ostendit Confessio nostra, nullum in universa scripturâ sacrâ extare præceptum, quo Sanctos invocare jubeamur.

50. Similiter constat & illud, nullam prorsus extare promissionem, quæ vel DEO Sanctorum Invocationem probari, vel à Sanctis eandem exaudiri, confirmet: nullam item comminationem, aut supplicij commemorationem, quæ Invocationem Sanctorum non præstantibus, vel constituta vel inflictâ pœna à DEO fuisse cognoscatur.

51. Exemplum itidem nullum ex universâ historiâ sacrâ proferri potest, quo invocationis istius usus confirmari queat.

52. Consequens ergo fuerit, cum cultus iste Sanctorum qui in Invocatione consistit, scripturarum fundamentis prorsus destituatur: cum scripturis, ac proinde DEO ipsi è diametro adversari: id quod aliquot argumentis testatum facere, haud fuerit inconveniens.

53. Invocatio est cultus Soli Deo debitus, & nequaquam hominibus ullis tribuendus, juxta illud Deut. 6. 13. & Matth. 4. 10. Dominum Deum suum adorabis & illi SOLI servies. Ies. 42. 8. Gloriam meam non dabo ALTERI. Psal. 50. 15. invoca ME in die tribulationis: EGO exaudiam te, & in glorificabis ME.

54. Iubet insuper scriptura, fidem sive cordis fiducia atque spem ponere in SOLO DEO vivē-

te. ☉